



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

Observ. in Cap. I. circa Ecclesias generatim.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

Libertatem, Crimina, Exemptiones. Pro *Formâ* assignare debuisset quod Arbitris præscribitur à Partibus quoad Locum, Tempus, Modum definiendi; eorum Officium in casu æquilibrii, aliisque divisionis, quæ sistit aut impedit Judicium. Idem est de casibus, in quibus aliquis eorum judicandi fit incapax, v. gr. Morbi, Captivitatis, Dementia, Mortis.

Quoad *Personas*, quæ compromittere possunt, observare potuisset ac debuisset, jus illud ad omnes & singulos pertinere, qui ab eo non excluduntur per Leges: hæc autem neminem excludunt nominatim; sed exclusio hæc includitur in prohibitione administrationis honorum suorum, quæ quidem exclusio præcipue continet personas in alienâ potestate constitutas, vel à Judice interdictas.

Eadem Regula obtinet quoad personas, quæ possunt esse Arbitri, omnes scilicet, qui à Lege nominatim, aut tacite non excluduntur. Quoad alios Autor commemorat Servos, Feminas, à quibus excipit eas, quæ Jurisdictionem habent, Judices Ordinarios, & competentes negotiorum controversorum.

Officia Compromittentium enucleantur in *Regula III* Idem est de Officiis Arbitrorum. Utraque nascuntur à Compromisso continente Legem, quam utriusque sequi debent: undè fit, ut, si nullum sit, v. gr. cum sit à personis incapacibus, aut ingratiam personarum incapacium, evanescent caterorum obligationes. Evanescent pariter obligationes Compromittentium, cum Arbitri recedunt à formâ Compromissi, quippe quæ sint conditionales; conditio autem est, si electi Arbitri servaverint limites potestatis, quam acceperunt. Ex nullitate Compromissi deducuntur Exceptiones *Regula I*. Replicationes oriuntur ex validitate. Ex validitate Sententiæ petitur veritas *Regula II*. Ex ejusdem Sententiæ nullitate proveniunt Exceptiones *Regula*.

Insinuatur in *Excep. XIII. Regule I*. Compromissum non esse obligatorium, cum nulla poena ipsi apponitur. Contrarium ostendit *Cap. 9. de Arbitris*, laudatum; nam dicit, compromissum sine poena obligare ad præstandam indemnitate; penale verò insuper ad poenam obligare. *Regula III*. docet, Compromissum alterius nomine factum, dare jus agendi adversus eum, qui illud fecit, sive Dominum, sive Procuratorem.

OBSERVATIONES in CAP. XXII. circa TRANSACTIONES.

Loquendo supra de Exceptionibus peremptoriis, Transactionem ipsis annoveravimus; & observavimus, eam, perinde ac illas, habere vim rei judicatæ: quia litem definit in gratiam ejus, cui favet, adversus eum, cui contraria est. Autor exponit argumentum eodem sensu per *Regulam*, id, quod diximus, continentem, & *Quinque* Exceptiones petitas vel ex circumstantiis, in quibus Transactio nulla est ob Simoniam, aliunde simile vitium, vel ex eo, quòd materia non est transactionis capax, ut Matrimonium; vel ex eo, quòd transactioni non paruit Adversarius, juxta *Reg. 75. in 6.* quæ dicit, *frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cum fidem à se præstitam servare recusat.*

Methodi VIGELIANÆ Juris Canonici LIBER TERTIUS de Re Ecclesiasticâ, & primò de Ecclesiis generatim.

OBSERVATIONES in Divisionem.

Autor locutus de Jure generatim, & specialiter de Jure Publico continente facultatem Legum ferendarum, interpretandarum, exequendarum, constituendorum hunc in finem Magistratum, coërcendorum scelerum, & proinde instituendæ notionis in ipsâ, quæ vocatur Judicium Publicum suas habens solemnitates ac poenas; tum de Jure Privato pertinente ad Judicia Privata, suis quoque solemnitatibus instructa, sive præcedentibus, sive comitantibus, sive sequentibus; transit ad Jus Rerum Ecclesiasticarum, quæ sunt præcipua ho-

rum Judiciorum materia, & sub Rerum Ecclesiasticarum vocabulo, complectitur Ecclesiam, quæ includit 1. Ecclesiam Universalem, quæ est Societas Fidelium, extrâ quam non est Salus: 2. Ecclesias. Particulares, ex quibus Universalis Ecclesia coalescit: 3. Personas Ecclesiasticas, Clericos & Religiosos, Prælatos & Inferiores: 4. Bona Ecclesiastica merè Spiritualia, aut merè Temporalia, aut Mixta, partim Spiritualia, partim Temporalia: 5. Loca destinata Cultui Divino, quem exercent illæ Personæ, & cujus sumptus, perinde ac Personarum alimenta, ex illis Bonis eruuntur.

Cum hæc verba *Ecclesia, Ecclesiastici*, habeant omnes significationes, quas mox illis attribuimus, eas exponere ac determinare Autor debuisset: sic facilius, agnosceretur quanam sit materia hujus *Libri*, quæ divisio, ordo & connexio ipsius. Decimas, Primitias, & Oblationes inter Bona Spiritualia numerando, id observandum curare debuisset in *Inscriptione*, eam sic concipiendo, de *Jure Decimarum*, ad instar Tituli de *Jure Patronatus*.

Agendo de Collatione Præbendarum & Dignitatum, in Titulo de *Præb. & Dignit.* Inscriptioni adijcere debuisset hæc verba, *earumque Collatione*: ad significandum 1. Loqui se de modo providendi Beneficiis inferioribus, sicut locutus erat de modo providendi Præbaturis, Tit. de *Electioe Prælatorum*.

Adjicienda erant Titulo de *Clericis & Monachis ordinandis* hæc verba, *eorumque qualitatibus*, ad instar Tituli de *temporibus ordinat. & qualitat. ordinandorum*, in *Decretalibus* quamvis de actibus Ecclesiasticis non loquatur nisi in *Libro IV.* eos hic complectitur in divisione *Libri III. Cap. I. & III. in principio.*

OBSERVATIONES in CAP. I. circa Ecclesias generatim.

Doctrina hujus Capituli reducitur 1. ad significationem hujus verbi ECCLESIA, indicando Locum, quo illa reperitur, & Prærogativam Ecclesiæ Universalis, quæ est una & unica Salutis via. 2. Ad *divisionem* Ecclesiarum, circa quam dicit, eam fieri non posse sine autoritate Episcopi aut Pontificis. 3. Ad earum *Unionem*, circa quam observat aliquot casus, in quibus & autoritatem, quâ illa fieri debet, attingit. De solemnitatibus observandis nihil dicit. 4. Ad *Translationem*, alias-ve mutationes, quæ fiunt in Ecclesia, ubi inserit quiddam generalissimum circa Ecclesiam reperit, quod sine ordine congerit, satis habens, ut plurimum, indicare Textus de argumento loquentes. Cum per Secularisationem aut Regularisationem, per Usurpationem, per Præscriptionem, Lites, Contractus, Privilegia, Immunitates, siant Mutationes in Ecclesiis, hic loquitur de his omnibus rebus, sed brevius, quam par est, ut sufficienter Lectorem circa illas erudiat, multò minus ut inferat quiddam Jus circa illas docet. Exempla sensibilia extant in *Reg. XIX. XX.* quæ loquuntur de Præscriptione, & in *Reg. XXIV. XXV. XXVI.* quæ agunt de Immunitatibus; nam illæ silent de Titulo, & bonâ Fide necessariis in Præscriptione, perseverantibusque per totum tempus requisitum; item de Rebus impræscriptibilibus; undè Autor remittit ad alia loca, in quibus agit de Præscriptione. Aliæ *Regulæ* non loquuntur de poenis contra Violatores Immunitatum Bonorum & Locorum, quæ illis fruuntur, neque de Absolutione ab illis poenis, nec de omnibus Locis, quibus Immunitas attributa est; nempe Cameteriis, Atriis, Circuitui. 30. aut 40. passuum nec de Jure Immunitatis, de limitatione Immunitatis Bonorum Ecclesiæ quoad onera extraordinaria.

OBSERVATIONES in CAP. II. de Ecclesiâ vacante.

Autor hic loquitur de Prælaturis vacantibus, quæ, durante vacatione, reguntur à Collegio, cujus Caput est Prælati defunctus aut captivus. Plures nihilominus *Regulæ* colligit, quæ applicari possunt Parochiis vacantibus: tales sunt *ex*, quæ loquuntur de Admini-

nistran,